

baptismi, et vinum pro calice : quæ sit autem vera aqua, et quando, vel quod sit vinum corruptum, aut verum, hoc relinquit humanæ potestati. Potest enim corrumpi aqua, et sic desinit materia baptismi ; non tamen qui aquam mutat, dicitur mutare materiam sacramentorum, sed naturas rerum.

XXI. Ad ultimum respondetur, nullam ex illis congruentiis valere. Non prima, quia nulla est regio, in qua homines possint vivere, et ad quam penetraverit prædicatio evangelii, ad quam non possit deferri vinum ex aliis partibus, saltem in modica quantitate. Et ipsa experientia docet, ad omnes regiones deferri mediantibus navigationibus. Certe nulla est regio ita frigida, ut omnino careat vino pro potu et epulis : quomodo ergo deest pro sacramento? Quod si induratur gelu, potest callidioribus pannis circumtegi calix, ne induretur vinum : neque est inconveniens, quod quando primum aliquæ regiones valde distantes detectæ sunt, quæ carebant vino, pro aliquo tempore missa non celebraretur, quousque vinum, vel etiam panis posset deportari : cum hoc sacramentum quoad sui realem sumptionem non sit de necessitate salutis.

XXII. Non obstat secunda congruentia, quia jus divinum non obligat infirmum ad communicandum nisi existente sacramento, et parato ; quod autem paratur sacramentum et consecratur, non obligat sacerdotem jus divinum nisi juxta formam et modum, quem Christus præstituit in ipsa substantia sacrificii, et juxta alios ritus et modos, quos Ecclesia decrevit pro celebratione ipsius sacramenti, et communionem infirmorum, qui pertinent ad ipsam reverentiam sacramenti, et ad ejus usum et administrationem : sicut non potest sacerdos sine ves-

tibus sacris, aut tempore nocturno, aut sine vasis sacris conficere hoc sacramentum prætextu communicandi infirmum ; sicut nec infirmo potest dari communio si sit phreneticus, aut habeat assiduam tussim, vel alium morbum in quo sit periculum vomitus, vel irreverentiæ, ut determinatur in rituali Romano Pauli V.

XXIII. Non obstat tertia congruentia : dicimus enim in die parasceves non fieri sacrificium, neque illam cæremioniam esse missam, licet aliqui oppositum sentiant, sed male, quia si esset missa, tenerentur fideles illam audire, quando dies illa cadit in festo annuntiationis ; at non tenentur, ut constat expresse ex novissima decisione cardinalium sacræ congregationis rituum februarii anni 1622, ut refert Barbosa in collectaneis, verbo annuntiatio Dominica ; et est maxime conformis ipsi juri, ut sumitur ex capite Sabbato, de consecratione dist. III, ubi dicit Innocentius I : « Quod illo biduo (scilicet feria sexta et sabbato sancto) ut traditio habet Ecclesiæ, nulla sacramenta celebrantur. » Et loquitur textus juxta antiquum ritum Ecclesiæ, quo in Sabbato sancto non fiebat sacramentum tota die usque ad noctem resurrectionis Dominicæ. Parificatur ergo parasceves cum sabbato sancto in hoc, quod nulla sacramenta celebrantur, non obstante quod fiebat illa cæremionia in feria sexta : ergo illa non est sacrificium, sicut neque in sabbato sancto dabatur : idemque aperte docet S. Thomas infra quæst. LXXXIII, art. II ad secundum comparando argumentum cum solutione.

XXIV. Non denique refert quarta congruentia, quia in illis casibus non consecratur utraque species ex impossibilitate, vel impedimento, non ex dispensatione, neque scien-

ter ; de quo est difficultas : casus enim impossibilitatis est extra legem. Et tamen tunc de facto non fit sacrificium, quomocumque contingat unam tantum speciem consecrari, ob rationem jam dictam. In illo autem ultimo casu, si quis minaretur mortem sacerdoti si utramque speciem consecraret, dicendum est quod si id facit ante consecrationem utriusque, abstinere potest ab omni consecratione ; si autem post consecratam unam speciem minatur tyrannus mortem si consecret alteram, vel ille relinquit sacerdotem liberum et expeditum ad proferendam formam calicis, vel non ; si non relinquit, redditur impossibilis consecratio secundæ speciei, et sic non obligat ; si relinquit liberum, debet consecrare etiam cum periculo mortis ; tum, quia regulariter id fit in contemptum sacrificii et præcepti divini, et tunc obligat præceptum cum periculo mortis ; tum, quia non intervenit ibi solum præceptum affirmativum consecrandi utramque speciem, sed etiam negativum non relinquendi sacrificium imperfectum, et faciendi contra cultum et religionem, licet præcipue resplendeat præceptum affirmativum, si quidem per omissionem violatur : contra præceptum autem negativum virtualiter ibi inclusum non potest aliquis facere, etiam cum periculo vitæ, propter contemptum religionis adjunctum.

XXV. Sed quid si tyrannus post consecratum panem cogat sacerdotem consecrare calicem, ut illum effundat, et ludibrio afficiat? Tenebiturne consecrare ut sacrificium perficiatur de jure divino ; an abstinere a consecratione ne inficiatur? Respondetur teneri abstinere, si non possit defendere calicem ne arripiatur a tyranno. Ratio est, quia tunc materia consecrationis calicis

censetur deficere, non quidem physice, sed moraliter, quia deficit circumstantia debita reverentiæ, quod est moraliter deficere, quia tenemur jure divino non dare sanctum canibus, nec porcis margaritas. Cæterum isti casus sunt per accidens, et supposita impossibilitate morali vel physica, ex quibus non fit causa ad dispensationem.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia certa vel dubia consecrationis, et in qua quantitate possit fieri?

I. Circa materiam panis, dico primo : Panis triticeus ex aqua naturali et farina confectus, est materia certa hujus sacramenti. Constat hoc manifeste ; tum ex ipsa institutione Christi, qui accepit panem ad consecrandum hoc sacramentum ; tum ex definitione Ecclesiæ in Concilio Florentino in instructione Armenorum, et in Concilio Lateranensi, in capite Firmiter, de summa Trinitate ; tum ex usu et praxi Ecclesiæ generali, quæ semper adhibet pro materia hujus sacramenti panem sic confectum. Et in communi usu hominum, simpliciter et indubitanter panis sic confectus vocatur et habetur ut verus panis. Difficultas esse posset in negativa, seu exclusiva, nempe an solus panis ex tritico factus, et cum illis conditionibus, sit materia hujus sacramenti?

II. Respondeo et dico secundo : Solus panis ex tritico, et non ex alio grano confectus, est materia hujus sacramenti, et cum illis conditionibus adjunctis, ut scilicet non sit sola farina, nec massa cruda, sed igne decocta ; nec alio liquore conspersa, quam aqua naturali. De

prima parte conclusionis aliqui dubitaverunt, existimantes panem ex quocumque frumento factum esse materiam hujus sacramenti, eo quod Concilia et jura antiqua non videntur requirere pro hoc sacramento nisi panem ex frumento; frumentum autem est genus non solum ad triticum, sed ad omne granum quod nascitur cum arista, ut ex S. Isidoro xvii etymologiarum, cap. iii, Plinio lib. xviii historiæ, cap. vii, et ex aliis docet Vazquez hic disput. clxx, cap. ii. Et sic Gabriel lect. xxxv in canonem probabile censuit, ex quocumque frumento posse confici eucharistiam; et saltem oppositum non plane convinci affirmat in iv, dist. xi, quæst. ii, art. ii, conclusione prima.

III. Dicimus tamen id plane convinci, quia id quod in evangelio dicitur panis, quando: *Acceptit Jesus panem, et benedixit, etc.* et antiqua Concilia et patres panem ex frumento, vel grano dicunt esse materiam hujus sacramenti. Eugenius vi in Concilio Florentino in decreto pro Armenis expresse declaravit esse panem triticeum. Verba Eugenii sunt: « Tertium est eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite; » quæ declaratio Ecclesiæ plane convincit non posse materiam eucharistiæ esse ex alio pane, quam ex triticeo; sicut neque ex alio vino, quam de vite. Et sicut sola aqua est materia baptismi, et oleum extremæ unctionis, nec potest in alia materia confici, solum ex hoc quod Ecclesia declarat illam esse materiam horum sacramentorum; ita in præsentibus, panis ex tritico, et non alius est materia eucharistiæ: unde licet in aliis Conciliis dicatur frumentum esse materiam hujus sacramenti, nomine frumenti intelligebant triticum, ut ista declaratio Ecclesiæ manifestavit. Excluditur

etiam a materia eucharistiæ sola farina, aut massa cruda; sed debet esse cocta igne, quia alias non esset panis usualis. Nomine enim panis, qui in usu hominum venit, intelligitur aliquid artefactum ex massa decocta igni; massa autem cruda, vel etiam exsiccata sole aut vento, non est panis, neque in usum hominum venit. Debere autem esse panem id quod consecratur, non solum constat ex dicto, sed etiam ex ipsa Scriptura, cum ad consecrandum hoc sacramentum dicatur, quod: *Acceptit Jesus panem.* Licet enim possit ex alio grano, quam ex tritico aliquis panis fieri, tamen si panis est, necessario est aliquid coctum igni, ut ex communi usu hominum constat.

IV. Quod debeat esse illa massa facta est sola farina et aqua naturali constat, quia ex admixtione aliorum liquorum, vel rerum cum farina, non fit panis usualis et communis, sed aliud genus cibi, ut placenta, vel aliquid simile. Panis autem communis vel usualis, et quod est fundamentum aliorum ciborum, est panis ex conspersione farinæ cum aqua naturali: unde tam necessarium est hoc ad materiam sacramenti, sicut quod sit panis usualis et verus. Nec obstat, quod aliqui dicunt, quod aqua est quasi materia transiens, et non remanens in ipso pane, et sic non videtur multum referre an sit aqua naturalis, vel non: respondetur enim, quod etiam farina est materia transiens; neque enim manet farina, cum fit massa, aut decoquitur panis; et tamen nisi ex farina fiat illa conspersio, tamquam ex materia antecedenti, non est panis. Sed quid, si panis coctus est recens, et per conspersionem iterum reducatur in massam, amittente rationem materiæ sacramenti? Respondeo non amittere, nisi tanta fiat conspersio,

quod sit etiam corruptio: si autem solum mollescat quasi massa, vel madescat, non amittit rationem panis, quia revera jam fuit decoctus, neque iterum fit massa cruda, sed manet decocta et emollita; alias quotiescumque hostia consecrata madescente in calice, vel saliva ore emollesceret sicut massa, desineret ibi esse corpus Christi, si desineret esse panis; hoc autem est falsum, quia communicantes dum in ore tenent formam consecratam, et non statim deglutiunt, emollescit quasi massa, nec tamen desinit ibi esse corpus Christi, alias non sumerent sacramentum, nec daretur illis gratia, quando illud trahunt: ergo signum est, quando ex pane cocto tali modo fit massa, non tolli veram rationem panis.

V. Dico tertio: Materia dubia hujus consecrationis est panis ex grano, quod est dubium an sit triticum, vel generatum ex tritico. Reliqua omnia ex non tritico facta, vel ex tritico corrupto, ut amyllum, non sunt materia hujus sacramenti. Nec oportet hic disputare an omne triticum ejusdem speciei infimæ, vel subalternæ, continens sub se diversas species. Quidquid enim sit de hoc, tamen ut sit materia sacramenti, sufficit quod sit verum triticum, sicut pro calice, quod sit vinum de vite; licet non sit ejusdem speciei infimæ omne vinum. Ex accidentibus enim, ex quibus species cognoscimus, non est minor varietas in vino, quam in pane, seu tritico. Invenitur enim varietas in sapore, odore, fortitudine, etc. sicut in tritico diversus calor, aut sapor invenitur. Sicut ergo hoc non obstante, omne vinum de vite est materia consecrationis, ita omne triticum. S. Thomas in præsentibus articulo tertio ad secundum, posuit illam regulam, quod quidquid ex grano tritici generari potest, est ma-

teria ejus sacramenti, licet degeneret in aliquibus accidentibus. Et regula est certa speculative; practice autem et hic et nunc, quæ grana oriri possunt ex tritico, et quæ non, et quando sit tanta corruptio, quod amittitur substantia tritici, aut quando solum degenerat in accidentibus, non satis constat.

VI. Et quidem S. Thomas per hanc regulam excludit a materia sacramenti siliginem, speltam et far; quod tamen dicit esse simillimum tritico: at quid illis nominibus significetur, res nobis incerta est: forte enim sunt alia grana, quæ apud nos non nascuntur; nam spelta non omnino constat quod granum sit apud nos; nam si est avena, manifestum est non esse materiam sacramenti, sicut neque hordeum; si autem est idem quod *Vita*, vulgo *centeno*, est materia dubia, quia dicitur aliquando generari ex tritico, licet differat in accidentibus ob tenuitatem terræ. Et siligo aliquando sumitur pro tritico selecto, qualis est etiam scandia, quæ vulgo dicitur *candea*, et tunc est certissima materia sacramenti; aliquando sumitur pro grano degenerante ex tritico, et tunc erit vel materia dubia, vel totaliter exclusa a sacramento: quidquid tamen de hoc sit, quod attinet ad praxim, res ista regulanda est penes communem usum et æstimationem hominum, qui communiter judicare possunt de pane, seu grano quod nomine tritici reputari potest. Ex granis quæ apud nos sunt, hordeum, millium, avena, sunt indubitate extra speciem tritici, neque ex tritico oriri solent, et multo magis alia quæ sunt potius legumina, quam grana; nec enim crescunt cum aristas, quod est signum non pertinere ad genus frumenti, sicut faba, cicer, et alia. Est autem materia dubia, ut diximus, quod vulgo dicitur *centeno*.

Appellari autem solet *Vita*, sive *spelta*, aut *blata*, vel *siligo*. Licet enim dicatur aliquando generari ex tritico, revera neque in figura, neque in colore, neque in sustentatione, quam præbet, est sicut triticum, unde non potest licite ex illo confici hoc sacramentum, licet aliqui admittant in casu magnæ necessitatis, verbi gratia, pro communicatione infirmi, si non esset alius panis, posse confici ex isto, quod tamen non reputo securum, quia in usu communi hominum valde distinguitur a pane ex tritico; et apud nos vix est practicabile, quia etsi inveniatur panis ex illo grano deficiente pane ex tritico, tamen panis azymus ex illo grano factus vix invenietur: apud Latinos autem, ut statim dicemus nunquam licet conficere nisi azymo.

VII. De amylo S. Thomas clare dicit non posse ex illo confici eucharistiam, licet aliqui oppositum teneant, quia licet fiat ex tritico, fit tamen per corruptionem ipsius tritici, si quidem conficitur ex tritico madefacto et corrupto, ut testatur odor aquæ ex illo relictus; quare si ex tali amylo fiat farina, et exinde panis, jam est farina tritici corrupti. Unde in communi usu hominum, ex amylo non fit panis ad sustentationem, sed pulvis; et sic non est materia hujus sacramenti.

VIII. Dico quarto: De qualitate panis consecrandi, quantum ad valorem sacramenti, nihil attinet quod consecratur in azymo, vel fermentato; quoad præceptum vero, extat decretum Ecclesiæ, quod Latinus suæ Ecclesiæ morem teneatur servare, quod in azymo consecratur; Græcus autem quod in fermentato. Prima pars conclusionis deducitur; tum ex eo quod Christus de facto quidem in azymo consecravit, quando ipse instituit hoc sacramentum comedendo pascha, seu agnum paschalem

cum discipulis, ut constat ex illo Marc. xiv et Lucæ xxii. Agnus autem paschalis non poterat comedi cum fermentato, sed cum azymis, ut erat expressa lex Exodi xii, et consequenter Christus de facto non consecravit nisi in azymo, quia non poterat tunc fermentatum inveniri in domibus, quando pascha comedebatur; sed tamen quia esse azymum, vel fermentatum non variat substantiam panis, cum uterque fiat ex massa tritici et aqua naturali, et igne decoquatur, ideo tam fermentatus, quam azymus substantialem materiam præbet consecrationi, et uterque est panis simpliciter, etiam in usu hominum, et quantum ad substantiam; licet frequentior usus sit fermentati; tum etiam, quia sic intellexit Ecclesiæ catholica, et sic definivit, ut constat ex decreto Eugenii papæ in Concilio Florentino in litteris unionis, ubi dicitur: « In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altari ipsum corpus Domini debere conficere; unumquemque scilicet juxta Ecclesiæ suæ (sive orientalis sive occidentalis) consuetudinem et ritum. » Ita pontifex.

IX. Quæ definitio refellit plures sententias, quæ in hac parte versabantur; nam quidam ex Græcis existimabant fermentatum esse de necessitate sacramenti; alii vero azymum; aliqui etiam dixerunt azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum vero pro Græcis, ut indicat glossa in capite litteras, de celebratione missarum; quæ tamen sententia ridicula est, quasi Christus Dominus pro una Ecclesia vel gente unam materiam instituerit, et aliam pro alia; nam pari ratione posset dici, quod etiam pro Ecclesia Africana vel Hispana aliam materiam instituerit, quam pro aliis. Quæ enim est major ratio,

ut pro solis Græcis diversam materiam Christus instituisset, cum solum unam Ecclesiam catholicam instituerit, in qua: *Non est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium*, ut dicitur ad Rom. x. Duæ autem priores sententiæ errores sunt contra dictam definitionem.

X. Secunda vero pars conclusionis, de præcepto sacerdotibus utriusque Ecclesiæ posito, ut quilibet suæ Ecclesiæ consuetudinem servet, constat in primis ex verbis relatis in decreto Eugenii: « Sacerdotes debere conficere unumquemque juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem; » ubi ly debere, vim præcepti declarat; et sic acceptatum videtur apud Latinos, apud quos judicaretur scandalosum et grave consecrare in fermentato. Cæterum gravitatem hujus præcepti explicavit amplius sanctæ memoriæ Pius V, in quodam motu proprio, qui incipit: « Providentia Romani pontificis, etc. ann. 1566, ubi revocans omnes facultates vel licentias celebrandi, Græcos more Latino et Latinos more Græco, subdit: « Quibusvis presbyteris tam Græcis, quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ et sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis a divinis pœnis districtius jubebimus, ut deinceps presbyteri Græci (præsertim uxorati) Latino more, et Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis prætextu, missas, et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant. »

XI. Ita pontifex, ubi manifeste est præceptum obligans sub mortali, cum sit positum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub gravissima pœna suspensionis perpetuæ; nec solum est præceptum ne hoc fiat vigore prædictarum facultatum, sed etiam generaliter quovis prætextu. Et cum ritu Græco Latinis, et Latino more

Græcis prohibuerit celebrare, clarum est vetasse ne Latini in fermentato, vel Græci in azymo conficiant, quia principalior ritus, in quo isti ab illis distinguuntur, est conficiendi in azymo vel fermentato; ergo hoc utrisque prohibitum est. Ex qua decisione constat, non esse verum quod aliqui tenent, Latinos sub præcepto teneri conficere in azymo, Græcos vero non teneri conficere in fermentato, sed posse in azymo, quia nostra consuetudo rationabilior est, licet toleretur et permittatur illos sic consecrare. Nec etiam veram esse aliorum sententiam, qui dicunt Latinos peccare mortaliter, si in fermentato conficiant; Græcos vero non peccare mortaliter, si consecrent in azymo, quia consuetudo est melior; illorum autem consuetudo non videtur res gravis: oppositum enim constat ex decretali relata Pii V, ubi tam Græcis quam Latinis præcipit suum morem servare sub gravi obligatione.

XII. Solum posset esse dubium, quando Græcus est apud Latinos, vel Latinus apud Græcos, an debeat sequi consuetudinem Ecclesiæ in qua invenitur; an cujus est filius, et unde discesserit. Et certum est, quod si in terris Græcorum inveniatur Ecclesiæ Latinæ, quæ suum morem servant, si ad illas divertat sacerdos Latinus, tenetur Latinum morem servare, et e converso, quia hoc non regulatur penes regiones et terras materialiter sumptas, sed penes Ecclesias, in quibus consuetudo illa viget; si autem Latinus divertat ad ipsam Ecclesiam Græcorum, vel e contra, dicimus quod hoc potest esse dupliciter; vel solum transeundo tamquam viator, sive tamquam peregrinus et advena ibi detentus, vel potest manere tamquam in proprio domicilio adscriptus et incorporatus illi Ecclesiæ. Si primo mo-